

Libro 6
Doc 91

PASTORAL COMMISSION OF CODICI
P. 685 / 66
PUBIZ. IV

Elementa quaedam pro revisione Codicis Iuris Canonici
quae laicos in Ecclesia respiciunt

Praenotanda

1. In elaboranda revisione Iuris Codicis semper prae oculis habeantur principia theologica et practica quae de laicis eorumque apostolatu in Ecclesia habentur in Constitutione dogmatica "De Ecclesia", imprimis in capite IV., in Constitutione pastorali "De Ecclesia in mundo huius temporis", in Decreto "De apostolatu laicorum" necnon in aliis Concilii Vat.II. documentis quae de respectivis quaestionibus laicorum agunt:

2. Convenienter ad imitationem eiusdem Constitutionis dogmaticae semper distinguendum est inter condicionem quae omnibus membris populi Dei qua talibus communis est, et eam quae laicis propria est. Haec proprietas non mere negative ut negatio status clericalis et religiosi describatur.

3. a) Revisio ne fiat tantum illius partis Codicis quae inscribitur "De laicis", sed omnium canonum in quibus de iuribus laicorum sermo est vel haec iura tanguntur: e.gr. in normis generalibus, in canonibus de clericis et religiosis, de sacramentis puta de matrimonio et familia, de sacramentalibus, de sacra liturgia, de divini verbi praedicatione, de educatione et scholis, de bonis Ecclesiae temporalibus, de iure dioecesano et paroeciali, de processibus. Qua de re colloquium de omnibus his materiis et cognitio textuum respectivorum pro Commissione postconciliari de apostolatu laicorum momenti esse videtur.

b) Omnia laicorum iura uno eodemque loco in novo Codice non sunt tractanda et hoc ipsum opportunum est expresse declarare.

c) Iuvare poterunt hanc revisionem universalem iuris laicorum codificationes vel ordinationes quae in iure particulari, praesertim in synodis dioecesanis, iam habentur.

(attamen haec ordinationes ante documenta Guilli orta fuerunt)

4. Laicus in reformando Codice praecise definiatur, non solum pragmatice ut in Constitutione dogmatica "De Ecclesia" et in Decreto "De apostolatu laicorum". Clare dicatur, illum laicum tum in statu religioso, tum in statu saeculari existere posse. De Institutis saecularibus agatur in titulo de religiosis.

5. Hic respeciantur tantum quae spectant immediate conditionem laicorum in Ecclesia, vel eorum apostolatum vel eorum consociationes. Cogitandum est non solum de singulorum laicorum conditione sed etiam de eorum institutis et consociationibus. Agendum est etiam de officiis laicorum.

6. Attendenda est etiam in revisione Codicis opportuna disciplina clericorum quatenus iuribus laicorum afficitur v.gr. relate ad ingressum in statum clericalem - ordine Diaconatus fortasse demum inchoandum; ad munus clericorum in associationibus laicorum (cf. Decretum "De apostolatu laicorum" n.25).

7. Verba "populus fidelis", "populus christianus" non iam adhibeantur in oppositione ad clericum, puta cc. 250 § 1; 1290 § 1; 1329, ne vinculum baptismatis clericos et laicos conglutinans tam discissum videatur, sed dicatur "laici" in istis ac similibus canonibus.

8. Generatim modus dicendi Codicis Iuris Canonici futuri conceptui subtiliori Ecclesiae corporis Christi ac Populi Dei et status atque dignitatis laicorum in Ecclesia accomodetur, qui conceptus in aliis disciplinis theologicis nunc temporis haud dubie iterum viget. In tota terminologia Codicis omnia vitentur, quae clericalismum sapere possent (Cfr. Constitutionem dogmaticam de Ecclesia, n.32).

Terminus "ecclesiasticus" non ad clericos restringatur, nisi laici extra Ecclesiam sint. Ex eadem ratione terminus "munera ecclesiastica" non pro solis clericis adhibeatur, sed pro omnibus muneribus in Ecclesia, sive clericorum sive laicorum.

9. In revisione Codicis peculiaris cura de constituendis ac ordinandis operibus institutisque misericordiae et caritatis habeatur.

10. Quamvis multis in locis Codicis Iuris Canonici de laicis eorumque iuribus et officiis necnon activitatibus sermo fieri debeat, praecipue in illa parte quae de personis tractabit sermo fiet. Pro hac parte ergo in sequentibus non solum quaedam elementa ad laicos respicientia sed etiam quandam dispositionem proponere liceat.

I. De populo Dei eiusque membris.

1. De Ecclesia ut populo Dei.

"Unicus Mediator Christus Ecclesiam suam sanctam fidei, spei et caritatis communitatem his in terris ut compaginem visibilem constituit et indesinenter sustentat qua veritatem et gratiam ad omnes diffundit.

Societas autem organis hierarchicis instructa et mysticum corpus Christi non ut duae considerandae sunt, sed unam realitatem complexam efformant quae humano et divino coalescit elemento" (Const.dogm.de Ecclesia, n.8).

"Deus congregationem eorum qui Jesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium credentes aspiciunt, convocavit et constituit Ecclesiam ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis" (ibid n.9). "Christus Dominus, Pontifex ex hominibus assumptus (Cf Hbr 5, 1-5) novum populum 'fecit regnum et sacerdotes Deo et Patri suo' " (Apc 1,6; cf 5,9-10) (ibid n.10).

2. De persona in isto populo Dei.

Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum gratiis et donis, iuribus et officiis (Cf CIC c 87). Hoc sacramento initiatus homo novam acquirit dignitatem fidelis et particeps fit missionis prophetae, sacerdotalis et regalis a Christo Ecclesiae suae communicatae, sub quo

respectu vera inter omnia Ecclesiae membra "viget aequalitas quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem circa aedificationem Corporis Christi" (ibid n. 32).

Haec fundamentalis personalitas in Ecclesia nequit amitti plene.

3. De distinguendis personis in populo Dei.

In populo Dei unitas est missionis; sed multiplicitas ministeriorum et donorum ad servitium totius populi acceptorum. Omnes quidem sunt et manent membra populi Dei, utpote baptis- mate Christo eiusque Corpori concorporati et munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, sed ad multiplicia munera tum pro Ecclesia tum pro mundo maximi momenti a Deo vocantur, ad quae exercenda gratis et donis uniuscuiusque muneri specialibus ditantur: alii sacris ordinibus mancipantur (clerici), alii ad vitam in variis communitatibus "religiosis" vocantur ("religiosi", qui possunt esse religiosi laici vel religiosi clerici - melius esset, si alius terminus ac "religiosus" inveniri posset, quia omnes christifideles in quodam sensu "religiosi" esse debent), alii ut laici et laici manentes speciali servitio Ecclesiae sese devovent (laici in speciali servitio Ecclesiae), alii negotiis saecularibus in medio mundo obligati manent (laici saeculares).

4. De communitatibus populi Dei.

In universali communitate populi Dei partiales inveniuntur communitates quae subiecta iuris in Ecclesia sunt.

In Codice Iuris Canonici populus officio paroeciali ut obiectum tantum curae animarum assignatus est (can.216 § 1).

Si verba "gens sancta, populus acquisitionis, populus Dei" (1 Petr 2,9s) vere gravia habentur et in effectum deducuntur, ius canonicum quoque populum paroeciae, quodammodo forsitan et dioeceseos, non solum ut obiectum, sed etiam ut subiectum vel, ut ita dicamus, con-subiectum, nempe ut possessorem quorundam officiorum et iurium ad curam animarum spectantium aestimet. Saeculis superioribus hoc non alienum ab Ecclesia fuisse videtur.

In iure ecclesiastico vigente non satis constat, cui principio constitutivo paroeciae qualitas personae iuridicae attribuenda sit. Beneficium paroeciale et fabrica Ecclesiae, pro quibus a multis vindicatur, hodie re vera saepe desunt. Per-

pendatur, possitne conceptu personae iuridicae paroecialis ipse populus paroecialis quoque quodammodo comprehendi eiusdem iuribus et officiis stricte definitis. Quod haud dubie studium vivax paroecialium foveret.

5. De fundamentalibus iuribus et officiis omnium fidelium.

a) Fidelibus ius competit libere, singillatim et associatim, fidem profitendi quam libere amplectendi naturali iure gaudent.

Hoc ius continet etiam libertatem sensum fidei Ecclesiae exprimendi, testimonium eidem praestandi necnon, mediis adhibitis ad hoc necessariis vel utilibus, propagandi in mundo. Hoc ius consequuntur etiam officia, praesertim apostolatium exercendi evangelisationis, apte iuvandi fideles et infideles, ut ad fidem perveniant vel in eo crescant.

b) Fidelibus ius competit participandi in cultu Ecclesiae, in vita eius sacramentali, pro sua capacitate administrandi vel recipiendi sacramenta et sacramentalia; in eius orationibus et poenitentiis; obtinendi, nisi obice removeatur iuris poenalis, sepulturam ecclesiasticam. Iuribus respondent officia.

c) Fidelibus ius competit participandi in aedificatione vitae socialis Ecclesiae; ingrediendi status in ecclesia, ut matrimonialis, clericalis, religiosi; particiandi active vitam communitatum in quibus in Ecclesia inseruntur: uti paroecialem, dioecesanam. Iura respectiva honorum, actuum legitimorum ecclesiasticorum habent.

Habent ius conveniendi et esse associandi etiam ad fines religiosos et apostolicos in Ecclesia et in mundo, conditasque associationes moderandi; pariter condendi opera et instituta fidem fini inservientia.

Officio tenentur totam hanc activitatem bono communi Ecclesiae subordinandi.

d) Ius eis competit accipiendi a suis pastoribus adiumenta spiritualia ad salutem et convenientem vitam Ecclesiae necessariam, imprimis institutionem religiosam, consultationem, informationem aptam; ius pariter coniunctionis cum suis pastoribus.

Ex sua parte tenentur conferre ad aptam informationem suorum Pastorum, ad expensas pro bono Ecclesiae in se assumendas.

e) Ius habent certificationes obtinendi de propria statu in ecclesia, testimonia ab auctoritate ecclesiastica legitime lata; ius recurrendi ad eandem auctoritatem, sive paternam sive iudiciale, ad iura sua vindicanda, difficultates manifestandas, correctiones petendas. Etiam opinionam publicam vitae Ecclesiae faventem efformare tenentur et ius habent.

II. De laicis saecularibus.

De his primo loco agatur, quia etsi diversa munia pro Ecclesia et mundo maximi momenti accipere possunt in quadam fundamentali condicione ecclesiali manent, in quam baptisate intrant et ex qua sola in ministerium speciale Ecclesiae vocari possunt sive laici manentes sive ut clerici.

1. Qui sint laici, de quibus in hoc capite sermo fit.

Si in sequentibus de laicis sermo fit, intelliguntur imprimis laici saeculares, nempe christifideles negotiis saecularibus in medio mundo obligati, sive caelibes sive sacramentalem statum matrimonii ut proprium charisma accipientes, qui ut tales ad multiplicia munera pro Ecclesia et pro mundo maximi momenti a Deo vocantur ad quae peragenda gratis donisque distantur quin ordines requirantur.

2. De laicorum iuribus et officiis.

a) Omnia quae in capite antecedenti de persona in populo Dei et de iuribus officiisque omnibus communibus dicta sunt, etiam de laicis valent. Quae in sequentibus dicuntur, aut ad laicos praesertim pertinent aut eis propria sunt.

b) De quibusdam laicorum singulorum iuribus et officiis specialiter commemorandis.

1) Speciali modo laicis ius incumbit contribuendi ad evolvendam doctrinam Ecclesiae de christiana imbutione ordinis temporalis, et exercendi respectivae partis missionis Ecclesiae.

(Cf. III)

2) Competit eis ius assumendi quaedam munera in cultu liturgico Ecclesiae, ad quae nullus ordo requiritur.

3) Competit eis ius assumendi quaedam munera in ipsa administratione vitae socialis Ecclesiae ordinationisque eiusdem, sive in paroecia, sive in dioecesi, sive in consiliis nationalibus et ipsius Curiae Romanae.

In fine commemorandum erit de quibusdam viribus et officiis particularibus etiam sub titulo "de laicorum activitate apostolica" sermonem fieri.

c) De laicorum iuribus et officiis in Ecclesia communitatibus.

Hic e.g. agi posset de iure laicorum activae et passivae electionis ad munera in respectivis communitatibus secunda; necnon de iuribus familiae, populi paroecialis vel dioecesani qua talis; quomodo iste populus etiam subiectum iuris fieri possit (cfr. I 4).

3. De laicorum activitate apostolica.

a. Notiones generales.

1) (Quid sit apostolatus laicorum). Apostolatus laicorum est pars peculiaris laicorum in missione totius populi Dei in Ecclesia et in mundo. Quam partem reapse explent sua operositate seu activitate apostolica ad evangelisationem ac sanctificationem hominum et ad rerum temporalium ordinem spiritu evangelico perfundendum ac perficiendum (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.2; Constitutionem dogmaticam de Ecclesia, n.33).

2) (Formae variae apostolatus laicorum). Laici suum apostolatum variis formis exercere possunt: ut singuli vel in variis communitatibus aut associationibus coadunati; in communitatibus stricte ecclesialibus vel in propriis campis; titulo missionis communis christianae vel insuper ex mandato vel ex missione speciali; finem generalem apostolicum Ecclesiae sibi proponentes vel modo particulari fines evangelisationis et sanctificationis, fines animationis christianae ordinis temporalis, aut opera misericordiae et caritatis (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, nn. 9.15.19).

3) (Diversae ad Hierarchiam relationem). Apostolatus laicorum varios relationum ad Hierarchiam modos admittit secundum varias eiusdem apostolatus formas et obiecta.

Semper Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia et subsidia spiritualia praebere, eiusdem apostolatus exercitium ad bonum commune Ecclesiae ordinare atque, ut doctrina et ordo serventur, invigilare. (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.24).

4) (Incepta apostolica libere eligenda). Incepta apostolica libera laicorum electione constituta eorum prudenti iudicio reguntur, praesertim cum agitur de ordine temporali christiane animando. Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.24).

5) (Commendatio). Incepta a laicis debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata condita ad missionem Ecclesiae melius implendam non pauca conferunt et ab Hierarchia non raro commendantur (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.24), quin inde specialem condicionem iuris in Ecclesia obtineant.

6) (Mandatum). Auctoritas ecclesiastica propter exigentis boni communis Ecclesiae specialem responsabilitatem in aliquo laicorum incepto apostolico immediate finem spirituales intendente assumere idque cum suo proprio munere apostolico arctius coniungere potest, servata tamen utriusque propria natura et distinctione, nec proinde laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi, qui actus mandatum vocatur (Cf. Decretum de apostolatu laicorum, n.24).

7) (Missio specialis). Auctoritas ecclesiastica etiam laicis missione quadam speciali munera quandam committere potest, quae ex se propius cum eius officiis coniuncta sunt; nihilominus laici etiam per hanc missionem ex statu suo non exeunt (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.24).

8) (Potestas iurisdictionis). Perpendatur, laicis quoque can.118 mutando certis sub condicionibus, saltem pro

casu, potestas concedi possit quosdam actus iurisdictionis exercendi, e.gr.in tribunalibus ecclesiasticis etc.

9) (Cooperatio laicorum in dicasteriis Curiae Romanae). Ad omnia Romanae Curiae dicasteria, in quibus laicorum cooperatio utilis esse videtur, laici periti ut consultores ad casum et etiam ad periodum longiorem vocentur.

10) (Organa consilii et cooperationis). In analogia ad dicasteria Curiae Romanae et ad organum pro laicis apud Sedem Romanam etiam in ambitu dioecesano et interdioecesano, nationali et internationali, paroeciali et interparoeciali erigantur organa quae conferentias episcoporum, singulos episcopos vel alios pastores in re spirituali et temporali consilio suo adiuvant (organa pastoralia) et totam operam apostolicam Ecclesiae, sive in campo evangelisationis et sanctificationis sive in campo caritativo, sociali et aliis, fulciunt, cooperantibus convenienter clericis et religiosis cum laicis, necnon variorum inceptorum mutuae coordinationi inservire possunt, salva uniuscuiusque indole propria et autonomia (organa cooperationis); ita quodammodo antiquum principium collegiale accomodate renovaretur (Cfr. Acta 1,15; 15,22). A competente ecclesiastica auctoritate de horum consiliorum idonea statuta constituentur (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.26).

11) (Formatio ad apostolatum). Cum vocatio christiana natura sua vocatio ad apostolatum sit, parentum aliorumque educatorum et magistrorum, scholarum, collegiorum et communitatum catholicarum, imprimis autem eorum, quibus cura animarum in Ecclesia specialiter conceditur, est sensum apostolicum et actionem apostolicam fovere ac formationem tum omnibus christianis communem tum singulis formis apostolatus specificè et peculiari-ter congruentem tribuere. Quae formatio sit integra humana uniuscuiusque aetati, ingenio condicionique accommodata, spiritualis, doctrinalis, practica et technica. (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, nn.28-32).

12) (Centra formationis, studii et documentationis). Ad hanc formationem fovendam centra vel instituta idonea in

singulis dioecesebus vel saltem nationibus erigantur. Etiam centra documentationis et studiorum in re theologica, sed etiam in materia anthropologica, psychologica, sociologica, methodologica ad formationem omnibus circumstantiis adaptatam praestandam multum conferent. Singulorum Episcoporum et Episcoporum Conferentiarum est rationem de his centris habendi (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.32).

b. De activitate laicorum in ordine spirituali.

1) Laici officia et iura ad apostolatum quae ex ipsa sua cum Christo Capite unione obtinent in quo et cum Deo et cum hominibus mundoque uniuntur (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.2) apostolica sua activitate expleant et teneant. Iura quae auctoritas ecclesiastica laicis tribuit exercent et munera quae eis offeruntur libenter suscipiant quantum in eorum potestate est.

2) (Laicorum pars activa in S. Liturgia). Sub quibusdam condicionibus laicis - mulieribus non exclusis - tribuantur iura quae sequuntur;

- a) S. Eucharistiam ministrandi;
- b) baptizandi etiam cum sollemnitate si sacerdos vel diaconus per longius tempus non adiri potest, in casu necessitatis vero sine sollemnitate (can. 742, 759 - sed terminus "baptismus privatus" prorsus aboleatur, cum talis baptismus nihilo magis quam "missa privata" fieri possit);
- c) quaedam sacramentalia administrandi (Cfr. Constitutio de sacra liturgia, n.79);
- d) muneribus nonnullis liturgicis puta lectoris, commentatoris, ostiarii, acolythi, choristae, cantoris vel similibus non solum casu fungendi et tunc etiam habitum idoneum deferendi (can. 683, 1185);
- e) piis populi christiani exercitiis, immo etiam cultui publico in quantum fieri potest puta liturgiae verbi praesidendi.

Perpendatur:

- a) utrum can. 107 et 108 mutandi sint, ita ut

solummodo clerici divinae institutionis existant et status clericalis et ordines maiores ab ordine diaconatus incipiant;

b) utrum ordines minores - et qui - retinendi vel novi creandi sint;

c) utrum "ordines" quidam minores non solum ut gradus ad ordines maiores considerandi sint sed etiam laicis qui quaedam munera supra vel infra dicta ad longius tempus suscipiunt conferendi sint, quamvis tales "ordinati" statum clericalem numquam appetant.

3. (Laicorum pars activa in educatione et institutione catholica necnon in divini verbi praedicatione).

a) Parentes et patrini filios ad Christum cognoscendum et amandum sedulo educant et doceant (ca. 1113, 854, 769, 797).

b) Auctoritas ecclesiastica laici facultatem specialem, pueros adulescentes et adultos in disciplinis religiosis instruendi, fidem propagandi, res theologicas investigandi et docendi (Cfr. can. 1328, 1333 § 1) impertire potest.

c) Praepositi quorum interest laicos idoneos ad iuvenes cuiuscumque aetatis in religione instruendos et ad disciplinas in scholis catholicis tradendas magis magisque admittant.

d) Can. 1342 abrogato episcopi sub certis condicionibus et cautelis laicis quoad vitam spiritualem et doctrinam excultis etiam concionandi facultatem conferre, ius habeant.

e) Servatis servandis laici ius habeant accipiendi gradus in theologia et veniam legendi theologiam.

4. (Munera ecclesiastica a laicis suscipienda).

a) Munera in Ecclesia, quae aequae vel forsitan melius a personis laicis impleri possunt, ad normam laicis demantentur.

Talia esse possunt in propositione doctrinae christianae; pro quibusdam functionibus liturgicis; in cura animarum; in honorum ecclesiasticorum, rei nummariae, institutorum caritatis administratione; in directione vel editione diurnorum et ephemeridum ecclesiasticarum, in moderatione Actionis

Catholicae aliarumque associationum ecclesiasticarum (Cfr. can.1521 § 2) etc.

b) Laici saepe instructi supra usum adhuc vigentem etiam aliis muneribus magno momenti in Ecclesia fungantur, puta ut auctoritatis ecclesiasticae vices gerentes in consiliis superioribus internationalibus, immo in communi servitio ecclesiastico diplomatico, ut aiunt, participatione quadam ecclesiasticae potestatis iurisdictionis non exclusa.

c. De activitate laicorum in ordine temporali.

1) (De apostolicitate activitatis laicorum in ordine temporali). Ecclesiae missio est non solum nuntium Christi et gratiam eius hominibus afferendi, sed et spiritu evangelico rerum temporalium ordinem perdudendi et perficiendi, in qua altera missione laici peculiarem partem obtinent.

2) (De propria responsabilitate laicorum in hac activitate temporali). Laicos oportet ordinis temporalis instaurationem tamquam proprium munus assumere et in eo, lumine Evangelii ac mente Ecclesiae ductos et caritate christiana actos, directo et modo definito agere; qua cives cum civibus, specifica peritia et propria responsabilitate cooperari, propriis ordinis temporalis legibus integre servatis (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.7; Constitutionem pastora-lem de Ecclesia in mundo huius temporis, n.36.40.42f.55.59.75f). Magni momenti est, ut inter ea quae christifideles, sive singuli sive consociati, suo nomine tamquam cives, christiana conscientia ducti, et ea, quae nomine Ecclesiae, una cum pastoribus suis agunt, clare distinguatur (Cfr. Constitutionem pastora-lem de Ecclesia in mundo huius temporis, n.76).

3) (De Hierarchiae subsidio in hac activitate). Aucto-ritatis ecclesiasticae est docere et authentice interpretari principia circa finem creationis et usum mundi, auxilia moralia et spiritualia praestare, ut ordo rerum temporalium in Christo instauretur; ipsi etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et auxilio adhibito peritorum, de conformi-tate operum et institutionum ordinis temporalis cum illis

principiis et decernere de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n.7.24).

4. De laicorum associationibus.
(Textus nondum elaboratus est).

III. De laicis in speciali servitio Ecclesiae.

De his laicis in peculiari capite tractetur, quia revera non sunt laici saeculares, sed peculiarem speciem membrorum populi Dei constituunt et in Ecclesia huius temporis in dies crescentis momenti sunt et erunt. (Cfr. Elementa quaedam pro revisione CIC 30.3.1966 III n. 14. Alia addenda erunt.).

1. Qui sunt isti laici.

Laici de quibus in hoc capite sermo fit sunt caelibes sive sacramentali statu matrimonio iuncti, qui perpetuo aut ad tempus servitio Ecclesiae eiusque institutionum et operum necnon aliis associationibus et operibus apostolatus seipsos, sua peritia professionali, devovent, sive intra fines suae nationis sive in campo internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum et ecclesiarum novellarum.

2. De istorum laicorum iuribus et officiis.

Praeter iura et officia, quae istis cum laicis saecularibus communia sunt hae praecipue commemoranda sunt: ipsi non solum necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento gaudeant, sed etiam condicione exigentiis iustitiae, aequitatis et caritatis quam maxime satisfaciente, praesertim quoad honestam eorum familiarumque sustentationem (Cfr. Decretum de apostolatu laicorum, n. 22). In iure tum communi tum particulari normae concretae ad hae principia peragenda statuuntur. Normae respectivae iuris civilis etiam in Ecclesia agnoscantur et valeant.

3. De istorum laicorum speciali activitate apostolica in Ecclesia.

Praeter ea quae iam in capite antecedenti de laicorum

saccularium activitate apostolica dicta et etiam ad hanc speciem laicorum transferenda sunt, peculiari modo ministerium et munus speciale his laicis commissum respiciendum est. Isti etiam tenentur specialem pro suo proprio ministerio formationem sibi parandi.

(Admonitio). Ecclesia omnes utriusque sexus fideles amanter et instanter hortatur ut collatis viribus una cum Hierarchia divinitus instituta, sub Christo Capite eiusque Spiritu veritatis et amoris animati, missionem suam pro Deo et propter Deum indesinenter expleant. Dignitatis suae conscii agnoscant suam vocationem et etiam responsabilitatem in Ecclesia et pro parte qua in mundo operantur speciale officium, quod ab aliis eodem modo neque praestatur neque praestari potest.

Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri semper meminerint in aedificatione Ecclesiae laicos speciales habere partes. Quapropter una cum laicis operandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia semper in mente habeant; eorum apostolatam impense promoveant; magnam curam praestent laicis in apostolatu militantibus; libenter eorum consilio iuxta eorum competentiam utantur; cum fiducia eis in servitium Ecclesiae munera committant; illis in proprio ambitu pro rei natura, agendi libertatem et spatium relinquunt, immo eos ad actionem et ad sua sponte agendum excitent. Diligenter studeat quisvis Episcopus, ut hinc laici ad munia apostolica suscipienda, illinc clerici ac religiosi ad auxilium instructioni tali ac deinde ipsi apostolatu praestandum praeparentur.

IV. De clericis.

V. De religiosis.